



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Schildi[i] De Caucis

Schild, Johannes

Lvgd. Batav., 1649

Cap. V. Vitia priscae Caucorum telluris, quae nondum penitus hodierna consum sit. Etenim paludosa. Moer. Mariscus. Pallio Bremensis comparata dioecesis. Plurimae cultores accepere paludes. Inter ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13007

audi, sub finem Consolationis ad Marciam: *Vetustas non hominibus solum (quota enim ista fortuita potentiae portio est) sed locis, sed regionibus, sed mundi partibus ludet.*

C A P. V.

Vitia prisca Caucorum telluris, quae nondum penitus hodierna consumsit. Etenim paludosa. Moer. Mariscus. Pallio Bremensis comparata dioecesis. Plurima cultores accepere paludes. Inter quos, Hollandos vel imprimis. De privilegio, quod animos illis addidit. Commoda, quae infelicitatem suam uliginosa pensant. Ut, quod hostilium mora sunt atque sufflamina machinationum: unde crevit Romano, circa Visurgim Albinque bellanti, labor. Item, quod alendo foco materiam praebent. Incerti auctoris Ἰαυροῦ Ἰστορία. Terra nostra incendium. Cuius exempla, cum Frisia, vidit Ultrajectum. Aliud alicubi terra nostra vitium, sed an vitium? Quod sylvestris. Bederkesana nemora. Voluptas è sylvis. Earum interpellata plurifariam continuatio refutat sylvestria nobis exprobraturos. Non posse, nisi mixtam inamoenis, amoenitatem aestimari regionum.

Quanquam delectabilem uberrimamque nostri temporis esse Chaucidem constet, ea tamen nequaquam dissimulanda nobis erunt, quibus ipsa, plurimum ab antiqua Germania discedens, antiquae tamen utcunque vestigia Germaniae servat. Nam & agrorum pratorumque laetitiam alicubi paludum humida dispungunt,

gunt, & horrentium opacitas sylvarum camporum displicet æstimatori. Sic autem de Germania Tacitus: *aut sylvis horrida, aut paludibus fœda.* Palustria & uliginosa *Moerasch*/ aut concisius *Moer* vernaculus sermo nominat: unde *Langemoer*/ *Kortemoer*/ *Loiermoer*/ & alia prætereunda paludum nomina, Chaucidis agnoscunt infessores. *Moer* fortèan à *mari* descenderit, uti *Moerasch* à *Marisco*, quod barbaro-Latinis usurpatum passivitus pro palude, tanquam maris diminutivum, linguæ non unius admisit genius, pro idiomatum inflexum variatumque differentia. Nam & patulo diffusoque mari, ob stabilitatem, paludis aliqui circumdederunt appellationem: uti propterea lamæ ejusmodi lutosæ parvorum videantur accepisse marium appellationem. Utriusque Chaucidis comitantur hæc labes atque maculæ pulchritudinem. Major in medio sui, longo deformatur in hunc modum tractu, qui se totum prope creberrimis lacunis, & ericetis, relictum dolet: cum ea, quæ Visurgis excipit Albisque, arboreis omnia fœtibus injussisque graminibus virescant. Unde non absurdam reperere comparationem, qui pallio Bremanam assimilatum ivère diœcesin, cujus quod utrinque præludit oris, holoserico superbiat aut bombycino splendore, quod plicatur interius atque confunditur, è filo sit textum

tum

tum festinatúmque Ievidensi. Senfim tamen uliginum expugnantur emendantúrve tædia, admiffa gnavorum opera cultorum, aut follicitata. Quales, ab antiftitibus nostris intromiffi, jampridem contigêre nobis Hollandi, acris laborúmque capax natio, & occasionum haud feignis. Fridericus in Tabulis ad annum MCVI. *Pactionem quandam, quam quidam cis Rhenum commanentes, qui dicuntur Hollandi, nobiscum pepigerunt, omnibus notam volumus haberi. Prefati igitur viri Majestatem nostram convenerunt, obnixè rogantes, quatenus terram in Episcopatu nostro sitam, hæctenus incultam paludosámque, nostris indigenis superfluam, eis ad excolendum concederemus. Nos itaque nostrorum usi consilio fidelium, perpendentes rem nobis nostrisq; successoribus profuturam, non abnuenda petitioni eorum assensum tribuimus, &c.* Majestatis sibi titulum adscripsit, adscribive passus antiftes est, obsecutus ingenio seculi, quo paullò minùs anxie scrupulatúmque titulorum series atque magnificentia concipiebatur. Sic eorundem Imperatores temporum, in edictis suis, *celstutudinis* adscivêre titulum, qui multum hodie prioris cedit assurgítque dignationi. Valent enim ejuscemodi verborum pompæ, verborum ad instar reliquorum, sicuti nummi, qui usui æstimum sui debent atque taxationem. Ceterùm, ut ad eam, quam de-
 popo-

poposcerant sibi, curam alacres indefessosque spiritus afferrent, tributa sunt Hollandis privilegia quædam, & inter ea cautum, ut præfuli quidem nostro parerent, sed *ad synodalem justitiam & institutionem Trajectensis Ecclesie*: quæ tunc latè finitimis imperitando, Cis-rhenanæ pariter ac Trans-rhenanæ præsidebat Hollandiæ. Paludes autem, quas eò tempore nova donandas accepere facie, haud procul abjunctæ ab urbe Stada fuere. Sic enim Hartvicius Archiepiscopus in Diplomate quodam, ad annum MCXLIX. *Iustitiam, quam, affectabant, scilicet qualem Hollandiensis populus circa Stadium habere consuevit, concessi.* Interim eæ, quas nondum arboreta possident ac fruges, duobus amplissimis commodis opprobrium sterilitatis ulciscuntur. Primum est, quòd, tanquam munientis à natura derelictæ regionibus, objectu sui repentinos increpare queunt insultus. Unde Vellejus Patercul. lib. II. *Chaucorum gentem situ tutissimam dixit. & Hegesippus Saxoniam inaccessibleam paludibus, & inviis septem regionibus.* Quem sequitur Isidor. Originum lib. IX. c. II. *Saxonum gens in Oceani maris littoribus & paludibus inviis sita.* Eorum, qui ripæ prætendebantur Oceani, Saxonum nostri pars potissima fuerunt. Dictu propemodum incredibile est, quantum Romanus, cum Albim Visur-

gim-

gümque victricibus terrere conaretur copiis,
 incerta paludum, ac fallaces incusaverit cam-
 pos. Quanquam secundarum ambiguarúmque
 rerum sciens, eóque interritus, adversa sibi ta-
 men omnia putabat, cùm loca, nobilitanda
 præliis ac velitationibus, uligine profunda vi-
 deret, ad gradum instabilia, procedenti lubri-
 ca: cùm corpus lorica grave labaret, ac nihilo-
 minus inter undas librare pila cogeretur. Hinc
 Annal. I. Cæcinam, nostra prementem confi-
 nia, terruit dira quies: *nam Quinctilium Varum*
sanguine oblitum & paludibus emersum, cernere &
audire visus est, velut vocantem. Tum post mul-
 ta ludibria Cheruscorum, queis præliandi non
 insolitus inter palustria labor, enisæ demum in
 aperta & solida legiones, *clamore & impetu ter-*
gis eorum circumfunduntur, exprobrantes, non hîc
sylvas, nec paludes, sed aquis locis æquos Deos. Et,
 qui sequiora nobis tradidêre secula, nostris in-
 ferentes sese regionibus hostes, non semel ab
 incepto resiliisse testantur, ambiguarum limosa
 prohibitos incertitudine terrarum. Alterum
 commodum, quo Chaucida paludum beat in-
 felicitas, ustiles sunt glebæ, quæ extractæ illinc,
 ac soli permisæ duraturo, grata foco, nec lignis
 inferiora præbent alimenta. Quamobrem lib.
 LXVI. cap. I. de Chaucis amarulenter acer-
 béque Plinius: *Captum manibus lutum ventis*
magis,

magis, quàm sole, siccantes, terrâ cibos & rigentia Septentrione viscera sua urunt. Quin & ea cespitiæ telluris indoles est, tàmque corripit facilis, ut necdum dicata Vulcano, neque sedibus direpta suis, vi solis, an incuriâ mortalium, igne concepto latè volitantia fuderit incendia. Incertus autor, qui Bremensium antistitum historiam, ab usque Carolo Magno repetitam, in Carolo Quarto sistit: Circa annum Domini MCLXXVII. terra circa Bremam arsit graviter, in æstate fervida, ferè per mensem, & per se cessavit. Sed, de isto quidem incerto autore, incertus aliquis hæreat, annon, cupidinem in expectata prodendi historici religione potior habendo, subinde quippiam miraculi causâ composuerit. Certè, postquam terræ menstruum memorâset ardorem, ilicet equum subicit, hominis indignabundo sessori verba regerentem, Equus, inquit, locutus est sessori suo dicenti, Bibe diabole: invitum me poteris ad aquam minare, sed invitum non poteris ad aquare. Ut jam minùs accusare credulitatem Quiritum liceat, qui nunciato, boves locutos, multotiens majoribus hostiis horrendum procuravêre prodigium. Veruntamen in eo, quod de tellure scribit inflammata, non ab omni derelictus est similitudine veri. Siquidem duas in Belgio nationes idem aliquando terror afflavit. Nam in

C

Ultra-

Ultrajectina ditione, Rhenam inter & Amersfortiam oppida, anno MDLXVII venæ cespitum, igne comprehenso, ardentis terræ simul & aquæ formidandum accolis edidère spectaculum. Tum & Frisiorum ii, qui Flevum timent, locum demonstrare spaciosum solent, qui quondam liberalissimus ustilium editor glebarum, exhaustus subitò prodeunte flamma, quæ nulla obrui poterat ope mortali, postea magno cum impetu succedentium receptator evasit aquarum, atque adeò lacus amavit appellitari, vulgò *Zonckermeer*. Ad sylvarum quod attinet horrorem, quem invidiosè Germanis objiciunt asperi nimis exactores amœnitatum, frequentiores forsitan ac densiores Chaucos obumbrant majores, quàm minores. Una quippe Bederkesana præfectura, ambitu suo circiter octo milliarium amplexa spatium, quadraginta numerat eximix proceritatis arboribus eminentia nemora. Sed, quæ continuata, solitudine sui, metum ingredientibus incutiunt, ea pratorum agrorumque fructuosis intercisa varietatibus, horrore profligato, nîl præter umbrosa frondium minantur, ac ferarum voluptuosas agitationes. Denique non intercesserim, quò minùs interjecta deliciis exprobrentur nobis inamœna paludum, & horrentia sylvarum. Non potest enim venustas

stas

stas & elegantia vultus æstimari, nisi cum turpi comparetur ac torvo: maris cœlique temperiem turbines tempestatésque commendant: vernantem floribus, aut maturefcentem frugibus annum, hiberni capimus æstimamúsque comparatione rigoris.

CAP. VI.

Plinii locus, super maritimis Chaucis, excussus. Insula, qua Chaucis opposita, non freto, sed astuariis, à continente secernebantur. Vetus antiquitus eadem facies. Cur à Septentrionibus arenarii nostris obducti colles. Æstuarium mare vadsum Tacito: palus Dioni. Paroceanitidis nostra faciem Vitellii examussim delineat iter. Tumuli. Tribunalia Zeelandis plura reliqua, quàm Chaucis. Quia perpetuis undarum exponebantur injuriis, creditum nonnullis, ultrò, magnitudinis animorum testanda caussa, vim eos laceffere fluctuum voluisse. Imò, sumtis armis, bella suscipere cum fluctibus ausos. Inundationes.

A soli dotibus, ac vitiis, ad emissa transfressuro coloniarum manum Plinii locus injicit: qui talem ferè Paroceanitidi nostræ vultum tribuit, qualem ante repertos aggerum obices Zeelandia tulit. Lib. xvi. cap. i. Sunt verò in Septentrione visæ nobis Cauchorum gentes, qui majores minorésque appellantur. Vasto ibi meatu, bis dierum noctiúmque singularum intervallis, effusus in immensum agitur Oceanus, aeternam ope-